

PROBLEMATICA, & QUÆSTIONES.

1. An actus externus addat per se actui interiori voluntatis majorem bonitatem, vel turpitudinem?
2. Utrum, & quo modo actus omnis humanus debeat referri ad Deum? an sufficiat illum referri ad finem naturæ rationali consentaneum?
3. Utrum reperiri possit actus humanus indifferens in individuo?
4. An actus bonus supernus imperari possit ab actu malo?
5. An Finis bonus purget, vel excusat, actu in se malum?

Ubi sobriè exponendum axioma illud: *Inter duo mala minus est eligendum.* Consulatur S. Augustinus Lib. Quast. super Genes. Cap. 42. S. Gregorius in moralibus, Lib. 32. Cap. 18. 19. 20. Concilium Tolet. VIII. Can. 2.

TRACTATUS III.

De Peccatis, Legibus, Gratia, & Merito.

PARS I.

De Peccatis.

POstquam Theologia dogmatica Finem hominis ultimum, propositumque ei Beatitudinis cœlestis præmium, ac deinde actionum humanarum, quibus veluti alis ad vitam cœlestem contendimus, naturam, libertatem, regulam, honestatemque, contemplata est: ad peccata consideranda progreditur, quæ, nisi fugiantur, à fine suo ultimo æternam in peccatum rapient hominem.

SECTIO

(61) ■
SECTIO I.

De Peccati natura, & divisione:

PRÆSCITA.

1. Peccatum aliud à Theologis vocatur *actuale*, aliud *habituale*, de quo dicetur suo loco.

2. Peccatum *actuale* à S. Augustino Lib. 22. contra Faustum Cap. 27. definitur: *Dictum, vel factum, vel concupitum, contra legem aeternam.*

Quæ definitio sic explicanda est cum S. Thoma 1. 2. Q. 71.
Art. 6. ut peccata tam *omissionis*, quam *commissionis*, comple-

statue.

3. Peccatum *actuale* rursum Theologi dividunt in *materiale*, & *formale*. *Formale* & *culpa maculam* inducit, & *reatum pænae*.

4. Peccatum dicitur *Philosophicum*, quatenus adversatur *rectae rationi*, *Theologicum* vero, quatenus est *violatio legis divinae*, & *offensa Dei*.

5. Alias quasdam peccati divisiones adfert S. Thomas loc. cit.
Q. 72.

Quoniam ex Tractatu præcedente satís constat, ad peccatum *formale* contrahendum requiri in voluntate *libertatem veram, propriam*, necessitatis omnis antecedentis expertem, adò in intellectu cognitionem *malitia*: propterea non repetentur ista hoc loco; sed sufficient hæc.

QUÆSTIONES, & PROBLEMATA.

1. An ad peccatum *formale* contrahendum necessaria sit aliqua malitia animadversio, nempe, vel cogitatio faltem tenuis, vel suspicio, vel dubium, vel timor, ne actio prava sit?

Solet hæc quæstio institui, ex quo Norbertus d' Elbeque in Dissert. Theologica de advertencia requisita ad peccandum formaliter.
Art. 6. Concl. 2. docuit, peccari posse peccato vero, formalis, & theologico, etiamsi scrupulus nullus, nullum dubium, & cogitatio nulla occurrit de peccati malitia.

2. An

2. An secundum præsentem divinæ Providentie ordinem possit evenire, aut saltem unquam eventura sit Hypothesis, in qua quis rationis compos satis quidem clare cognoscat, actionem aliquam, e. g. parricidium, adversari reæ rationi, & tamen sine sua culpa Deum vel plinè ignoret, vel nullam, ne confusam quidem & ob curam de Deo cogitationem habeat?

3. An possit proinde evenire, aut eventurum sit unquam, ut in quopiam actu, e. g. parricidio, sit peccatum merè philosophicum sive theologicum.

4. Quo tempore omissio actus præcepti censenda sit esse peccatum; De quo S. Th. m. 2. 2. Q. 79. Art. 3. ad 3.

5. An, & quando peccati intermissionis rea sit actio, tempore urgentis præcepti posita, & pugnans cum actu præcepto;

PROPOSITIO DAMNATA

Ab Alexandro VIII, 24tâ Aug 1690. Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens natura rationali, & recte rationi: Theologicum verò, & mortale, est transgressio libera divina legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque aeternâ pœna dignum.

Hujus propositionis vera sensus, & quatenus damnata sit, examinabitur juxta regulas Analysis damnatarum theorum. Vid. Amort. Theol. Eccl. Tom. 2. Disp. 1. Q. 2.

SECTIO II.

De peccatorum inequalitye.

DOG MATA.

1. Non sunt peccata omnia æqualia, sed sunt alia alijs graviora.

Major peccati alterius præ altero malitia varijs diutinanare ex-

fontibus potest, ut ex clariore peccantis lumine, maiore de-
liberatione, libertate, voluntatis nisu, ex re graviori actui
objecta, ex effectis actum consequentibus, aliisque adjun-
ctis eum circumstantibus.

2. Sunt peccata quædam, suam ex natura gravia, quæ
omnibus, illa perprætantibus, ad culpam, & pœ-
nam imputantur, sive electi, baptizati, creden-
tes fuerint, sive reprobati, non baptizati, & non
credentes.

3. Non tamen peccata omnia sunt suapte naturâ gravia;
Sed quædam sunt per se levia, & venialia.

4. Peccati gravis effecta sunt, dissolvere Dei amicitiam,
tollere charitatem, & gratiam justificam, quæ est
vita spiritualis animæ, actuum supernorum, & me-
ritorum cœlestium, principium..

Propterea peccata gravia appellantur *mortalia, & lethifera*; quia
occidunt animam, extingendo gratiam.

5. Peccata venialia non dissolvunt Dei amicitiam, nec
tollunt justitiam, mortemive animæ *inferunt.*

Ad eam tamen disponunt.

6. Peccatum lethale pœnam per se meretur sempiter-
nam. Atque in præsentî Dei providentia, nisi ex-
piata ante mortem ejus culpa fuerit, punitur crucia-
tibus inferni æternis, qui in pœna, partim *damni,*
partim *sensüs*, positi sunt.

7. Peccata venialia autem non merentur per se pœnam
æternam, quantumvis ea multa fuerint. Neque
ob

ob quantumlibet solorum peccatorum venialium numerum quisquam ad poenas æternas damnabitur.

Ubi per modum argumenti objecti explicabitur. an, & quo sensu, multa peccata levia, e. g. plura minuta furta, tandem possint in peccatum grave coalescere.

ERRORES.

- (1) Stoicorum, docentium peccata omnia esse æqualia, ut videre est in *Paradoxis Ciceronis, Parad. sto.* Hos secutus est Jovinianus, Sæculo IV, ut breviter indicat S. Augustinus *Lib. ad Quod vult Deum Cap. 82.*, sed clarius S. Hieronymus *Lib. 2. contra Jovin.* circa fin. (2) Pelagii, qui Sæculo V. docuit, quilibet peccato amitti justitiam, ac propterea peccatum omne esse mortale. Sed, quia multos esse justos negare non poterat; affirmabat, posse hominem sine omni omnino peccato vitam transigere: ut refert S. Augustinus *Lib. cit. Cap. 88.* & S. Hieronymus *Dialog. 1. & 2. contra Pelagium.* (3) Joannis Wicelli, qui Sæculo XIV. sensit, omnia peccata esse mortalia; si mortale dicatur illud, quod sit per se morte æternæ dignum. Si verò mortale dicatur, quod mortem re ipsa æternam inducat; omnia peccata reprobatorum esse mortalia, electorum verò venalia. Vid. Thomas Waldensis *Tom. 3. de Sacram. Cap. 134 & seq.* (4) Lutheri, dicentis, omne opus justi ex natura sua mortale esse, sed ex sola Dei misericordia esse veniale. Quia, ut *Lib. de Captivit. Babylonica, Cap. de Baptismo,* docet, *Baptizatis nulla peccata imputantur, nisi tantum si nolit credere.* (5) Calvini, *Lib. 2. Instit. Cap. 8. §. 59.* dicentis: *Omne peccatum mortale esset SANCTORUM peccata venalia esse, non ex sua pte natura, sed quia ex misericordia Dei veniam consequuntur.* & *Lib. 1. Cap. 4. §. 28.* *FIDELIUM peccata venalia esse, non quia non mortem mereantur, sed quia non imputantur, quia venia delentur.* (6) Baji, cuius est hæc

PRO-

(69)

PROPOSITIO DAMNATA

*roma: Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne pec-
catum meretur pænam eternam.*

SCITA THEOLOGICA.

1. Peccata, ex genere suo mortalia, possunt ex aliquo accidente fieri venialia, & venialia vicissim mortalia.

Quibus modis fieri utramque possit, explicabitur.

2. Quædam peccata sunt ex totogenere mortalia. In his locis non habet parvitas materie.

Ubi statuentur certi canones, ex quibus secerni possit, (1) quandonam materia censenda sit gravis, quando levis; (2) Quibus in peccatis parvitas materie culpam reddere leviter possit, in quibus non possit. Ac præsertim rationibus, partim Theologicis, partim physicis, ostendetur, *cur in materia venientia locum non habeat parvitas materie.*

PROBLEMATA.

1. In quo potissimum sit gravis peccati lethales malitia, per quod secernatur à peccato veniali?

*An malitia peccati posita sit in positivo, an in negativo? omitte-
tur. Ut &c, an dari possit peccatum in voluntate, sine errore intel-
lectus?*

2. An peccatum mortale sit malitiae simpliciter infinitæ.

SECTIO III.

De distinctione peccatorum secundum Speciem, & Numerum.

UT materia hæc, scitu per necessaria ob Cap. V. Tridentini Sess. 14., rite pertractetur, ii potissimum statuentur, peccatorum speciem, & numerum distinguendi, canones, qui sunt clariores præ cæteris, universaliores, & certiores.

Quibus recte stabilitis, & monstrato eorum per exempla usu; opus haud erit, constitutas ab aliis regulas, aut referre multis, aut refellere.

idu.

I

SE.

SECTIO IV.

De Causis peccati.

DOG MATA.

1. Absit, auctorem peccati ullo modo Deum dici. *Si militer autem odio sunt Deo impius, & impie-
tas ejus. Sap. 14. v. 9.*
2. Sed sola voluntas creata est vera, & propria pecca-
torum causa.
3. Causæ peccatorum remotiores partim sunt in ipso
homine, ut motus concupiscentiæ, habitus vitiosi,
imaginationes rerum ad peccandum alludentium;
partim sunt extra eum, ut suasio, & impulsus,
cum diaboli, tum pravorum hominum, & sensuum
illecebræ.

ERROR

Calvini, qui *Lib. 1. inst. Cap. 17 § 11. Cap. 18.* & alibi sæpe, docet aperte, Deum omnia opera mala mandare, decernere, facere. Quo stabilito à se principio, non potuit non *in sua ad Rothomagenses Epist.*, & *in Instruct. adversus libertinos*, sinistro marte configere cum Coppino, & Quintino, sutoribus Flandris, qui pæclicare coeperunt Calyini ætate: Peccatum nihil esse, prater inanem, & falsam opinionem, cum Deus omnia faciat, qui nihil mali facere potest. ut refert Bellarim. *Lib. 2. de Amiss. Grat.* Cap. 1. Ante Calvinum docuerat Gotscheschaleus, *in honorum, ista malorum, prædestinationem esse*, ut jam supra dictum.

PROBLEMA

An Deus prædeterminet, vel condeterminet ad materiale peccati?

Ubi

Ubi invidiosâ omni censurâ, & felle, abstinebitur.

Quo pacto Deus, quamvis per veram physicam sive omnipotentiæ effectiōnem concurredat cum voluntate creata in omnes actiones pravas, tamen nec sit, nec dici possit auctor, & causa per se peccati: non repetetur hoc loco ex Philosophia.

SECTIO. V.

De peccato habituali.

DOGΜΑΤΑ.

1. Post peccatum grave admissum, quamvis præteritum, pergit impius verè esse, & nominari peccator, toto illo tempore, quo peccatum nondum remissum est. *Mulier, qua erat in civitate peccatrix.* *Luc. 7. Multi publicani, & peccatores, discubebant cum IESU.* *Matth. 9.*
2. Toto illo tempore manet in homine relicta quædam ex peccato præterito macula, donec divinae gratiae splendor ei restituatur. *Usque in præsentem diem macula hujus sceleris in nobis permanet.* *Isa. 22. v. 17.* & *Eccl. 29. v. 21.* Peccator dicitur *immundus.*
3. Manent peccata Reatu, qua præterierunt actu. *S. Aug. Lib. 6. contra Julian. Cap. 8.* Et infra: *Sacrificium idolis factum, si deinceps non fiat, prateriit actu, sed manet Reatu, nisi per indulgentiam remittatur.* Reatus hic duplex est, alter *culpa*, sive debitum sustinendi divi-
num odium: alter *pæna*, sive debitum sustinendi pœnas exter-
nat.

mas. Relictum huic ex peccato præterito, nondum condonato, reatum Theologi voce satis aptâ, quamvis antiquioribus non usitatâ, nominant peccatum habituale, vel peccatum habitualiter perseverans.

¶. Deus toto illo, quo peccatum grave, licet diu præteritum condonatum non est, tempore, impium revera odit. *Odio sunt Deo impius &c.*

ERROR

Baji, cuius est haec

PROPOSITIO DAMNATA

56ta: In peccato duo sunt, actus, & reatus: transire ante actionem, NIHIL manet, nisi REATUS, sive OBLIGATIO AD POENAM.

PROBLEMA.

Quid sit re ipsa peccatum habituale?

Vitabitur in questione hac, minus necessariâ, prolixitas.

SECTIO VI.

De peccato originis.

DOG MATA.

1. Primus homo, Adam, cum mandatum Dei in paradi so fuisset transgressus, statim sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisit: incurrit iram, & indignationem Dei, & ideo mortem, & cum morte captivitatem sub potestate diaboli.
Trid. Sess. 5. Can. 1.

2. Adæ prævaricatio non nocuit ipsi soli, sed etiam propagini; nec mortem tantum, & pœnas corporis, in omne genus humanum transfudit, sed etiam peccatum

- catum, quod est mors animæ. *Can. 2.*
3. Hoc Adæ peccatum origine unum, non imitatione solâ, sed propagatione, transalium, inest unicuique proprium *Can. 3. In quo omnes peccavimus. Rom. 3.*
4. Patvuli, etiam per parentes baptizatos, credentes, & justos, ex Adamo descendentes, nascuntur hujus peccati rei, & *Fili i&r. 5. Per baptismum ritè collatum, non regitur duntaxat, sed vere condonatur.*
6. Nasci in peccato originis, non est nasci *sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, & cum concupis- tia*
7. Nec concupiscentia est peccatum originis.
8. Neque etiam peccatum hoc, integrè acceptum, est concupiscentia cum *reatu*, ita, ut *concupiscentia sit materiale peccati originalis, & reatus formale.*
9. Non est item peccatum originale substantialis quædam imago diaboli, quæ post Adæ lapsum animæ nascentium instar formæ insidet.
10. *B. V. MARIAM esse sine peccati originalis la- be conceptam, non numerant quidem Catholici in- ter definita Fidei dogmata; sententiam hanc ta- men velut piam, & verissimam defendunt eorum plurimi.*
- Quid hoc super dogmate constituerit hactenus Ecclesia Ca- tholica,*

tholica, exactè percenset Card. Prosper Lambertini,
Benedictus XIV. de Beatif. & Canonic. SS. Lib. 1. Cap. 42.
N. 13. & 14.

ERRORES

1. Pelagii, & Cœlestii, qui, teste S. Augustino *Lib. de peccatis.*
orig. ab initio usque ad Cap. 16., *Lib. de peccat. merit. & rem. Cap.*
2. ad Quod vult Deum, de *Heresibus Cap. 88.* negarunt, nasci
homines infertos peccato originis, docentes, peccatum Adami
soli ipsis nocuisse, non posteris. In Palæstina Synodo autem po-
stea, ut damnationem, & censuras effugeret Pelagius, fassus
est, primi hominis peccatum nocuisse etiam posteris; confessio-
nem hanc suam post ita exponens, ut diceret, nocuisse posteris,
non propagatione, sed exemplo, quia imitati Adamum omnes, qui
deinceps peccarunt, ut refert S. Augustin. *Lib. de peccat. orig.*
Cap. 15. (2.) Discipulorum Pelagii, post hujus mortem conceden-
tium, mortem corporis ortum ducere ex peccato primi homi-
nis, non peccatum, quod est mors animæ. S. Aug. L. 4. *contra*
2. *Epistolas Pelagianorum.* (3.) Lutheranorum, qui in Augustinæ
Confessionis, anno 1530. Carolo V. & Ordinibus Imperii exhibi-
tae, Articulo 2. damnantes Pelagium, peccatum originis insi-
ciantem, illud definiunt: *Nasci sine metu Dei, sine fiducia erga*
Deum, & cum concupiscentia. Anno 1540, autem hunc Art.
2dum immutantes, peccatum originis definierunt, esse & **REAL-**
TUM, quo nascentes propter Adæ lapsum rei sunt ire Dei, & mortis
æterna, & ipsam **CORRUPTIONEM** humanae naturæ, propagatam ab
Adam. In hac corruptione autem defectum iustitie, seu integri-
tatis, seu obedientie originalis, & **CONCUPISCENTIAM** contineri.
(4) Jansenii, docentis ab initio *Lib. de Nat. lapsa*, materiale pec-
cati originalis esse concupiscentiam, formale vero esse reatum
culpæ, quo anima verè coram Deo rea est, qui reatus per remis-
sionem peccati tollatur, et si maneat concupiscentia. His non
multum absimilia habet Calvinus *Lib. 3. inst. §. 11., & Philip-*
pus

pus Melanchthon *In locis Comm. Tit. de Peccato.* (5.) Zwinglii, qui, ut ex ipsiusmet scriptis ostendit Bellarminus de *Amiss. Grat. Lib. 4. Cap. 2.*, docet, ex primi hominis peccato redundare in ejus posteros morbum quendam, qui concupiscentia dici soleat; hunc morbum non esse verè proprie, sed metonymice peccatum, id est, effectum, & causam peccati: Deinum hunc ipsum morbum esse peccatum originis. Cùm Pelagianis igitur negat, ex primi hominis peccato redundare in posteros verum, & proprium peccatum. (6.) Mathiae Illyrici, teste Bellarin. de *Amiss. Grat. Lib. 5. Cap. 1.* somniantis, peccatum originis esse substantiam quandam, quæ sit *ipissima imago diaboli*; cāque imagine, velut formâ quâdam substantiali, post primi Parentis peccatum obliteri animam rationalem hominum. (7.) Calvini *In Antidoto Concil. Trid. ad Sess. stam. & Lib. 4. Instit. Cap. 16. §. 24.* Zwinglii *Lib. de Baptismo*, & in declarat. *de Pecc. orig.* Buceri in *Cap. 3. Matth.*; Petri Martyris, & Bullingeri in *Cap. 7. 1. Cor.* docentium, in *Filiis fidelium*, etiam ante Baptismum, non esse peccatum ullum, aut saltē peccatum originis eis non imputari. (8.) Lutheri in *Assertionibus suis*, à Leone X. damnatis, defendantis, in Baptizatis revera manere peccatum originis, quia manet concupiscentia: sed Baptizatis illud non imputari.

PROPOSITIONES DAMNATAS

Exhibit S. Concilium Trident. Sess. 5. Quibus addetur hæc Bajana 73: tia: *Nemo præter Christum est absque peccato originali.* Hinc B. Virgo mortua est, propter peccatum ex Adam contractum, omnēsque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, fuerunt ultiones PECCATI ACTUALIS, vel ORIGINALIS. Cujus propositionis damnatio concilianda cum Decretis Pontificum, sententiam, intaminatum B. Virginis conceptum non agnoscendum, censurâ notari vetantium.

DOMINA RO-

PROBLEMATA, & QUÆSTIONES.

1. Quomodo ex hominibus , etiam mundatis labe originis per Baptismum, & justis, nascantur homines eadem labo infecti?
2. S. Augustinus Lib. 5. contra Julian. Cap. 3. cum duos diversos in medium protulisset, rem hanc explicandi modos; addit ibidem: *Quid autem horum verum sit, libenter disco, quam disco; ne audeam docere, quod nescio.* Conabitur tamen ostendere Professor dogmaticus; quænam Catholicorum sententia videatur præ ceteris verosimilior , ac Scripturis, Patrumque traditioni, magis consentanea. Poterit etiam paucis tangi questio olim S. Augustino proposta: *An peccatum originale propagetur per anima traducendo?*
3. Quænam sit vera natura, sive essentia peccati originalis? In re haec valde obtcurâ, de qua S. Augustinus Lib. 1. de moribus Ecclesiæ scriptis; peccato originali nihil esse ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius: eligitur sententia, que videbitur & captu facilior, & revelatis de hac materia accommodatior. Videatur Bellarminus, qui de hoc argumento egregie disputat; & diversas Catholicorum sententias recte conciliat. Obsoletas Catholicorum quorundam sententias, ut e. g. quod peccatum originis sit qualitas quedam morbida, & similes, satis erit paucis contingere.
4. Quâ pœnâ afficiantur post hanc vitam, qui cum solo peccato originis è vivis excedunt?

Separabuntur, etiam hoc loco, accuratè certa ab incertis, atque apud Doctores Catholicos adhuc in controversia versantibus.

PARS SECUNDA.

De Legibus.

A Peccatis Theologia Dogmatica meritò progreditur ad Leges, quippe quæ & ostendunt nobis, quænam fas, vel ne-

nefas sit agere, aut omittere; & hæc ostendentes, mentem ad peccata vitanda dirigunt, impiorum verò nefanda facta redarguunt.

Materia hæc dividetur Professores, dogmaticum inter, & moralem. Prior dabit potissimum Fidei dogmata, & generalia principia; posterior ea sibi sumet, quæ morum disciplinam proprius spectant.

SECTIO I.

PRÆSCITA.

1. Lex à D. Thoma 1. 2. Q. 90. Art. 4. definitur: *Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Ibidein Art. 1. Lex quædam regula est, & mensura, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur.

Quæstio, utrùm Lex posita sit in actu intellectus, an voluntatis, an utroque, prætermittetur.

2. Est quadruplex 1. Lex æterna. 2. Lex naturalis. 3. Lex divina. 4. Lex humana. D. Thom. ibid. Q. 91.

3. Lex æterna est ratio gubernativa totius universi in mente divina existens. Idem ibid. Art. 1 in o.

Huic æternæ Legi Providentia divinæ subjecta sunt omnia creata, sive contingentia, sive necessaria. Quia verò de Providentia Dei pluribus disputatur in Tractatu I. sect. IV; hoc loco paucis tantum ista exponentur. An verò hæc sit propria, an verò per analogiam duntaxat, lex, minoris momenti quæstio est.

4. Lex naturalis est Ratio divisa, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. S. Augustinus Lib. 22. contra Faustum. Cap. 30.

Quidam scriptores legem æternam confundunt legi naturali. Sed præstat res distinctas insignire distinctis nominibus, exemplo S. Thomæ.

5. Lex Divina est, quæ à Deo, humana, quæ ab homine lata est.

SECTIO II.

De Lege Naturali.

DOGMATA, & PRINCPIA.

- Existit lex scripta in cordibus hominum, quæ dicitur naturalis.

Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendantibus, in die, cum judicabit Deus occulta hominum &c. Rom. 2. à v. 14.

- Scripta est autem in cordibus, singulissime promulgata, per rectæ rationis lumen.

Cum Psal. 4. dixisset, SACRIFICATE SACRIFICIUM JUSTITIE: quasi quibusdam querentibus, quæ sunt justitiae opera, subiungit: MULTI DICUNT, QUIS OSTENDIT NOBIS BONA? cui questioni respondens dicit: SIGNATUM EST SUPER NOS LUMEN VULTUS TUI DOMINE; Quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus, quid sit bonum, & quid malum, quod pertinet ad naturalem legem; nihil aliud sit, quam IMPRESSIO DIVINI LUMINIS IN NOBIS. D. Thom. 1. 2. Q. 94. Art. 2. in C.

- Lex naturalis directò, & propriè, mutari non potest per modum subtractionis, ut loquitur S. Thomas ibid. Q. 94. Art. 5. O. ut scilicet aliquid desinat esse de lege naturali, quod prius fuit secundum legem naturalem.

- Potest tamen aliquando mutari indirectò, & minus propriè: quando materia ita mutatur, ut eam talia circumstent rerum, personarum, & causarum, pecu-

peculiarium adjuncta, pro quibus nunquam fuit
lege naturali generali comprehensa.

Erit h̄ic locus dicendi de jure naturæ *absoluto*, & *hypothetico*.

Explicabuntur item loci S. Scripturæ quidam, in quibus videri
posset Deus mutasse legem naturalem; ut, cūm Gen. 23.
præcepit Abrahæ, ut occideret filium innocentem;
cūm Exod. 12. Iudeis, ut spoliaret Ægyptios; cūm
Oseam Prophetam iussit sibi sumere uxorem fornicatio-
num, & facere sibi filios fornicationum. Ose. 1. Quem in
locum præclarè commentatur Cornelius à Lapide.

5. Potest tamen Lex naturalis mutari per *Additionem*,

*Multa enim supra legem naturalem superad-
dita sunt ad humanam vitam utilia, tam per le-
gem divinam, quam etiam per leges humanas.*

S. Thom. loc. cit.

6. Dispensationem nullam propriam admittit. S.
Thom. Q. 100. Art. 8. Q. 97. Art. 4. ad 3.

PROBLEMATA.

1. Quodnam sit principium *cognoscendi* *juris naturæ*: sive
quodnam statuendum videatur principium, ex quo cognosci
possit, quæ sint iure naturali vetita, vel præcepta?

2. Urum Jus gentium sit distinctum à jure naturæ?

3. Quæstio, utrūm *jus naturæ* sit *hominibus*, & *brutis commune*,
aut omittetur, aut brevissimè expedietur, exemplo D. Thomæ

1. 2. Q. 94. Art. 2. in 9

Præstat Theologo, talium loco tractare Historiam litterari-
am Disciplinæ juris naturalis enarrando, quid hac in parte præ-
clare præstiterint Patres, & veteres Theologi nostri, quid co-
nati recentiores, tam nostrates, quam extranei; quid ex nostris
subsidii hauserit Grotius; ubi is, ejusque sequaces, excesserint
opinandi libertate: quâ cautione igitur iis utendum: quam in

Theologia laudem, usumve habere eos conveniat?

Cæterum Theologus suam sequatur formam, etiam in juris naturalis quæstionibus, ut textu divino cumprimis, deinde ratiocinio naturali, utatur; neque disciplinam juris naturalis deparet prorsus ab auctoritate.

SECTIO III.

De Lege divina, præsentim veteri.

DOG MATA.

1. Præter legem naturalem, ex rectæ rationis instinctu cognitam, existit Lex divina, solius naturalis lumenis captum exsuperans. S. Thom. 1.2 Q. 91. Art. 4.
2. Deus leges certas externas dedit hominibus ante Moysen, per Moysen, & novissimè per Filium suum Iesum Christum.

Prima vocari passim solet *Lex naturæ*; altera *Lex scripta*, vel *Lex Mosaica*, vel simpliciter *Lex*; tertia *Lex gratia*.

3. *Lex naturæ*, quâ vivebant Patres, ante, & post diluvium, usque ad Moysen, & Gentes, à populo Israëlis distincta, usque ad Christum, non constabat *ex meritis præceptis naturalibus*, sed etiam *ex præceptis supernis*, à Deo revelatis, ad quarum cognitionem assurgere non potuisset sola naturalis ratio.

Sic Adamo Deus Gen. 2. v. 17. præcepit, de ligno scientia boni, & malini comedere. 2dō Debebant tum homines credere, nasci Adami posteros infectos labe originis. 3dō Jussi sunt Gen. 3. v. 15. credere Messiam, & redemptorem venturum cuius fides sèpè post inculcata eis fuit per Abraham, Isaac, & Jacob. 4dō Erat eis præscriptum certum peccati originalis remedium. 5dō Jubebantur, ut discimus

mus ex Gen. 2. v. 3., festum agere diem septimum, sive Sabbathum. *6*ò Job credidit, se in novissimo die surreaturum de terra, & rursum circumdatum iri pelle sua. Job. 19. v. 25. & 26. *Et in carne mea videbo Deum meum,* ait ibid. Credi, & agi itaque complura in Legi naturæ ex præcepto divino oportuit, quæ dictare sola ratio naturalis non potuit.

4. Lex Mosaica, vel Veteris, à Deo per Angelos (*in dispositione Angelorum.* Act. 7. v. 53.) data, erat mandatum sanctum, *& justum, & bonum.* Rom. 7. v. 12.
5. Imperfecta quidem fuit, *infirma, & egena* habens elementa, umbra & figura Legis gratiæ, ut lèpè ait Apostolus.
6. Neque tamen eo ex capite erat *insufficiens, & litera occidens,* quod faceret homines reos, & transgressores, ostendendo, & prohibendo peccatum, nec tamen vires præbendo ad illud vitandum.
7. Complectitur præcepta, tum *naturalia, tum mere positiva;* atque hoc utrumque vel *circus sacra, quæ ceremonialia* dicuntur, vel *circus profana, quæ civilia, politica, vel judicialia,* nominantur.
8. *Naturalia* nullam gentem habuere unquam eximiā, nec cessant in Lege nova. *Positiva* soli Juðæorum populo, non aliis gentibus, data fuere, & cessant in Lege Gratiae.
9. *Positiva* rituum præcepta post constitutum, & promulgatam Legem gratiæ, statim quidem fuerunt

*morta, non tamen mortifera. Sed poterant servi-
ri adhuc aliquamdiu, ut mortua mater Synagoga
sepeliretur cum honore.*

10. Hac verò demum sepultâ, ritus veteres, qui in figura & mysterio futurorum erant, non mortui tantum, sed etiam mortiferi extiterunt,

ERRORES

(1) Theistarum, & Naturalistarum, ut hodie vocantur, nullam cognoscentium revelata m, aut religionem, aut legem Dei, sed eam solam, quam dictaverit naturalis ratio; instar Philosophorum priscorum vivere affectantium, & falsò sibi persuadentium. *Legem Naturæ*, ab Adamo ad Moysen observatam, constitisse ex præceptis merè naturalibus. (2) Gentilium, & Atheorum, Moysen impostorem Mahumeto parem blasphemantium; qui magicis Ægyptiorum artibus imbutus fascinaverit populum Juðæorum. (3) Manichæorum, vetus testamentum à spiritu malo dictatum esse, impie assertentium. (4) Almarici pari impietate docentis, Legem Mosis non esse à tota Ss. Trinitate; sed à potestate solius Patris, quæ duraverit usque ad Christi ortum.

(5) Quæsnelli, cuius errores patefacient mox recitandæ ejus propositiones damnatae. (6) Martini Lutheri, Tom. V. Wittenb. pag. 211, dicentis: *Zum ersten ist zu merken/ dass uns Heyden/ und Christen/ die zehn Gebott Gottes nichts betref-
fen/ sondern allein die Juden. Das bezeuget/ und pruwt der Text; so er sprich: Ich bin der HErr dein Gott/ der dich aus Egyptenland gefüret habe.* id est: *Notandum est primo, Prae-
cepta Decalogi nos Ethnicos, & Christianos, nihil attinere sed Judeos
tantum. Probat id, atque evincit textus, dum ait: Ego sum Domi-
nus Deus tuus, QUI EDUXI TE DE TERRA ÆGYPTI &c.* (7) Eorum, qui Act. 15. moliebantur gentes, ad Christum recens conversas, subjecere Legi Moysis.

Quæ

Quâ occasione explicabitur, cur Apostoli ibid. v. 29. tulerint legem: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione? Et an, ac quatenus, ista lex hodie obstringat adhuc Christianos? Vid S. Thom. 1. 2. Q. 103. Art. 4. ad 3.

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Quesnelli 6ta: Discrimen inter fædus Iudaicum, & Christianum hoc est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto verò Deus peccatori dat, quod jubet, illum suâ gratiâ purificando

9ma: Quæ utilitas pro homine in veteri fædere, in quo Deus illum relinquit propria infirmitati, imponendo ipsiusam legem? Quæ verò felicitas non est admitti ad fædus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?

8va: Nos non pertinemus ad novum fædus, nisi in quantum participes sumus ipsis novæ gratiæ, qua operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit

62ta: Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus; si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

65ta: Moyses Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis, mortui sunt, absque eo, quod ullum Deo dederint filium: cùm non effecerint nisi mancipia per timorem.

QUÆSTIONES.

1. Utrum præceptum tertium decalogi sit positivum, en naturale? Si positivum, utrum omne genus humanum; an verò solois Judæos obligaverit?

2. Quando, & quâ auctoritate, incepert Christiani diem septimum, qui sanctificandus est, statuere diem Solis, id est, inter dies creationis primum?

SECTIO IV.

De nova Lege divina, gratiae.

DOGMATA.

1. *Multifariam, multisque modis, olim Deus loquens Patribus & Prophetis; novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, Hebr. 1. v. 1. Qui abrogatà veteri, novam Legem dedit mundo.*
2. *Lex hæc est illa, quæ à Christo Domino constituta, per Apostolos, eorumque successores, in toto orbe prædicata, dicitur Lex Evangelii, Lex Christiana, & Catholica.*

Propositionis hujus uberior demonstratio reservabitur ad Tractatum de Fide.

3. *Obligat omnes omnino homines.*

Euntes in mundum universum predicate Evangelium omni creature. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crederit, condemnabitur. Matth. ult. v. 15. 16.

4. *Est ad finem mundi duratura, neque ei succedet Lex alia.*

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Matth. 28. v. 20. Vid. S. Thom. I. 2. Q. 106. Art. 4. Reliquæ prærogativæ novæ Legis breviter, & dogmaticè exponentur, præente eodem Doctore Angelico I. 2. Q. 107.

5. *Lex nova non impletur nihil operando, & liberum arbitrium soli Deo planè relinquendo.*

ERRORES.

- (1) *Judæorum, novam quidem legem, à Messia sibi dandam,*
ex-

exspectantium ex Jereim. 31. v. 31. & seqq. Evangelium Christi tamen repudiantium. (2) Ethnicorum, legem Christi per vicaciter contemnentium. (3) Naturalistarum, uti omniem Legem Dei revelatam, ita & Evangelium respicientium. (4) Quietistarum, sic appellatorum, quod otiosam quandam quietem sectentur, auctore Molinosio; cujus sunt hæ-

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

1ma. *Necessarium est annihilari potentias (animæ), & hac est via interna.*

2da. *Velle operari activè, est offendere Deum; qui vult solus agens esse. Et ideo necesse est derelinquere se in ipso, & deinde se habere corporis mortui instar.*

4ta. *Activitas naturalis est inimica gratia, & impedit operacionem Dei, & veram perfectionem: quia Deus vult operari in nobis, sine nobis.*

5ta. *Anima nihil operando annihilat se, & reddit ad suum principium, & ad suam originem, qua est essentia Dei: ubi manet transformata, & divinisata, & tunc Deus manet in se ipso, quia tunc non sunt amplius due res unitæ, sed una sola, & sic vivit, & regnat Deus in nobis, & anima se annihilat in esse operativa. Similiter sunt aliarum Molinosii propositionum insomnia.*

PROBLEMATA.

1. *Quandonam lex nova Evangelii cœperit obligare totum mundum?*

2. *Quando lex vetus cœperit esse mortifera?*

SECTIO V.

De Lege humana.

DOG MATA.

I. *Est in Rep. humana potestas leges ferendi, tam civiles, & politicas penes Principes, & Magistratus;*

(Prov. 8. v. 15. Rom. 13. v. 1. & seqq. Tit. 3. v. 1. Ephes. 6. v. 5.)

2. Quām ecclesiasticas, penēs Ecclesiæ Antistites.

1. Joan. 21. v. 15. & seqq. Act. 20. v. 28. 1. Cor. 4. v. 21.

Hebr. 12. v. 17. & seqq.

3. Inæqualitas hominum partim imperitantium, partim subditorum, non adversatur *Juri naturæ*, sed est ei maximè consentanea.

4. Legislator humanus tam civilis, quām ecclesiasticus, potest, si voluerit, ipsas etiam subditorum conscientias obstringere.

5. Nec refert, fidelisne sit Legislator, an infidelis, justus, an impius; prædestinatus, an reprobus. Ephes. 6. v. 5. 1. Petr. 2. v. 18.

6. Legibus humanis tenentur tam justi, & sancti: quām impii, & scelerati.

7. Jura fidei, disciplinæque religionis, dare, vel interpretari, proprium est Antistitutum Ecclesiæ; quorum Canones legibus munire Principes sacerdotes non dedecet.

Reliqua omnia de Legibus relinquuntur Professori Theologiæ moralis, ad quam potius, quām ad dogmaticam pertinent.

ERRORES

(1.) Donatistarum, Anabaptistarum, & Lutheri etiam, variis in locis, præsertim Lib. de bello rustico, omne imperium tollere molientium, maxime inter Christianos. (2.) Wicleffi, & Husi, qui dicunt, neminem esse dominum civilem, aut Ecclesiæ Prælatum, si sit impius, aut reprobatus.

PRO-

Joannis Wicleff, damnati in Concilio Constantiensi Ses. 45va. Propositio 8. Si Papasit præscitus, & malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem supra fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte à Cæsare.

15ca. Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali. Eadem totidem verbis dicit Propositio 20ma Joannis Hus;

Cujus sunt etiam propositiones hæc, damnatae ibid.

11ma: Non oportet credere, quod iste, quicunque est Romanus Pontifex, sit caput cuiuscunque particularis Ecclesiæ sanctæ, NISI DEUS EUM PRÆDESTINAVERIT.

15ca. Obedientia Ecclesiastica est obedientia secundum adiunctionem Sacerdotum Ecclesiæ, prater expressam auctoritatem Scripturae.

20ma. Si Papa est malus, & præsertim, si est præscitus, tunc, ut Judas, Apostolus est diaboli, fur, & filius perditionis, & non est caput S. militantis Ecclesiæ.

22da. Papa, vel Prælatus malus, & præscitus, est aequivoce pastor, & verè fur, & latro.

Alexander VIII. damnavit hanc 28vam: Populus non peccat, etiam si absque ultâ causâ non recipiat legem à Principe promulgatam.

PARS III.

De divinâ gratiâ.

Consequenter considerandum est de exteriori principio humanorum actuum, scilicet de Deo, prout ab ipso per gratiam adjuvamus ad rectè agendum. D. Thom. 1.2. Q. 109. Et aptissime quidem Disputationi de peccatis, & legibus, peccata cavenda monstrantibus, subjungitur sermo de divina gratia; per quam peccata contracta persantur.

SECTIO I.

PRÆSCITA.

De notione, & variâ divisione, Gratia.

1. Gratia generatim est quodlibet Dei beneficium, naturæ indebitum.

Hoc generali in sensu numerari multa inter gratias possunt, quæ naturæ vires per se non excedunt. Hinc divisio in gratias ordinis mere naturalis, & ordinis superni, sive excedentis vires nativas.

2. Verùm Gratia in sensu proprio Theologico est donum Dei supernum, naturæ rationali creatæ collatum, ordinans eam ad salutem æternam, sive Deum, clarâ in cælis visione conspicendum.

3. Omnis quidem gratia est gratis data; alioquin gratia jam non est gratia. Rom. i. i. v. 6.

4. Alio tamen modo peculiariter *Gratia gratis data* dicitur, quæ non ordinatur per se ad ipsius accipientis salutem, sed ad aliorum potius.

Gratiarum gratis datarum Apostolus hunc perceriset catalogum: *Sermo sapientie; Sermo scientie; Fides, sive donum intrepidè profundi, & prædicandi fidem, ut explicant Ss. Ambrosius, & Anselmus; Gratia sanitatum, Operatio virtutum, Propheta; discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum. I. Cor. 12. à v. 8.*

5. Gratia gratum faciens est, quæ per se ordinatur ad ipsiusmet accipientis salutem.

6. Gratia gratum faciens alia dicitor *gratia sanitatis, quæ & gratia Dei*, concessâ primis nostris Parentibus ante lapsum. Alia verò *gratia medicinalis*; quæ ex Christi redemptoris meritis datur hominibus post Adami lapsum, ut animas per peccatum vires reddat, & naturæ corruptæ insinuitatem sanet.

7. Alia

7. Alia item est gratia exterior, sive extranous posita. Ut beneficium Incarnationis; prædicatio Evangelii, miracula, viæ Christi, & Sanctorum exempla. Alia est interior, id est, ipsiusmet animo nostro intima.

8. Hæc rursus alia est manens, & stabilis, quam Habitualis vocant.

Hæc semel infusa animæ in ea manet, donec per peccatum grave expellatur. Talis est cumprimis gratia inhabitantis Spiritus S., per quam justi, & filii Dei adoptivi nominantur, & sumus; vulgo gratia justificans, & sanctificans. Hanc comitantur habitus infusi supernarum virtutum tam theologicarum, quam ethicarum.

9. Alia est Actualis, quæ certis temporibus à Deo conceditur, ubi, & quando ei libuerit. *Spiritus, ubi vult, spirat, & vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat, aut quid vadat.* Joan. 3. v. 8.

10. Gratia actualis prodit se in animo per supernos, indelibertos, interiores, animi motus, quos Deus operatur in nobis sine nobis; quia solus Deus liberè illos in nobis operatur, nostris potentitiis physicè tantum in eos concurrentibus.

11. Motus hi interiores Gratiae constant ex duobus supernis indeliberali actibus, altero intellectus, altero voluntatis.

Prior vocatur Illustratio Intellectus, estque injecta nobis cœlitus cogitatio quedam, quæ clarum sit, quod latebat. Posterior Inspiratio voluntatis dicitur; estque cœlitus itidem injecta quædam delectatio, sive concupiscentia bona, quæ suave fit, quod non delectabat, ut loquitur S. August. Lib. de Peccat. merit. & remiss. Cap. 19.

Per cœlestes hos motus Deus dicitur homines vocare, Matth. 20 v. 6. tangere corda hominum, 1. Reg. 10. v. 26; pulsare cordis ostium, Cant. 5. v. 2. Apoc. 3. v. 20; accendere corda. Luc. 12. v. 49.

12. Motus illi cùm superni sint, & viribus solius naturæ superiores, necessarium utique est principium aliquod supernum, quod naturales animæ facultates ad aëtus illos efficiendos elevet.

Utrum

Utrum verò Gratia ipsius actualis essentia sita sit in hoc principio (sive qualitas illud esse dicatur, sive aliud quidpiam) an verò in ipsis in illis indeliberatis actibus; minoris ad rem dogmaticam momenti quæstio est, quam satis erit attingi verbis paucissimis.

13. Gratia actualis sortitur varia nomina, pro munera suo-
rum, aut effectorum, varietate.

Modò enim dicitur *excitans*; modò *operans*, modò *adjutrix*;
modò *præveniens*, modò *adjuvans*, *comitans*, *cooperans*, *subse-
quens*, modò *cifcax*, sive *viatrix*; modò *merè sufficiens*.

DOGMA.

Ad Essentiam gratiæ non pertinet, ut conferatur male
merentibus, & indignis.

ERROR, & PROPOSITIO DAMNATA

Baji 9na. Dona concessa homini integro, & angelo, forsitan non improbanda ratione possunt dici gratia: sed quia secundum usum sacrae Scripturae nomine gratiæ et tantum munera intelliguntur, qua per IESUM Christum male merentibus, & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, qua illis redditur, gratia dici debet.

PROBLEMATA

1. An gratia actualis *physicè*, an verò *moraliter* tantum, putat suadendo, movendo, concurrat in effectuem salutaris consensus? An proinde gratia *adjuvans* præter gratiam actualē sit principium quoddam supernū, *physicè coefficiens* consensum salutarem, illudque vel *manens*, vel *transiens*, distinctum ab infusis habitibus?

2. An gratia actualis posita sit in actibus intellectus, & voluntatis, per se merè naturalibus, sed, quas Deus prævideat futuras congruas, & consensum certò obtenturas: an verò in motibus intellectus, & voluntatis; quorum substantia ipsa excedat omnes naturæ vires?

3. An gratia sit tota *ratio agendi*?

Quæ

Quæ quidem quæstio in Controversiis Romanis de Auxiliis Congreg. XXI. coram Clemente VIII. habitâ, acerter discussa, occasi nem præbedit indagandi, an qui affirmantem partem sustinent, concordari possint cum Trid. Ses. 6. Can. 4. docente, liberum hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum nihil operari assentiendo Deo excitant... Sed veluti in anime quod-dans sibi omnino agere, merequè passivè se habere. Ubi explicabitur illud Apostoli: Non ego, sed gratia Dei mecum, 1. Cor. 15. v. 10. Quem locum corrupit versio Montensis gallica Jan-senistarum, ponens: sed gratia Dei, quæ est mecum.

SECTIO II.

De Gratia primorum hominum ante Adami lapsum.

DOGMATA.

1. Adam, & Eva conditi à Deo sunt in justitia primigenia, exaltati ad naturæ divinæ consortium, sancti, decorati habitibus supernis Fidei, Spei, Charitatis, aliarumque virtutum infusarum, immunes rebelli concupiscentiâ, immortales, elevati ad beatitudinem supernam, suo tempore obtainendam.
 2. Justitiam istam primigeniam, & integritatem, erant ad posteros, si non peccasset Adam, transmissuri.
 3. Tanta naturæ humanae sublimatio, & exaltatio, non fuit debita naturali ejus conditioni, sed est donum supernaturale.
 4. Indigebant ad observanda præcepta Dei supernaturalia, & beatitudinis supernæ meritum, auxilio gratiæ supernæ, naturali eorum conditioni indebitæ.
- D. Thom. 1. 2 Q. 119. Art. 2. in C. 5. Po-

5. Potuissetque Deus, si voluisset, condere illos *in statu puræ naturæ*, id est, innocentes quidem, sed destitutos donis omnibus supernis.

Describentur paucis, conditio hominis æquè, ac officia in hōcce statu: infirmitas quoque ejusdem, atque potestas cum libertate. Remuneratio præterea, tam in hac, quam in futura vita.

Contemplatio hujus statū hypothetici conducit ad exploranda hominis officia naturalia, vires, & finem ultimum, Deique nos sublimantis commendandam beneficentiam.

ERROR

Lutheri, qui ad 3. Cap. Gen. statuit, justitiam primigeniam, in qua conditi fuere primi parentes, non *fuisse quoddam donum*,... *separatum à natura hominis, sed fuisse vere naturalem, ut natura Adæ esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum &c.*

Idem sentire videtur Calvinus Lib. 1. Instit. Cap. 15., ubi ait, in contumeliam Dei cessurum, si quid vitii naturæ à Deo creatæ inesse probaretur. Hossecuti Bajus, cuius propositiones hac de materia damnatæ jam exhibebuntur, & Jansenius, qui tribus libris integris probare nititur, chimæricum esse naturæ puræ statum.

PROPOSITIONES DAMNATÆ

Baji 21ma. *Humane naturæ sublimatio, & exaltatio in confortium divinae naturæ, debita fuit integritati prima conditionis, ac proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis.*

In eandem ferè sententiam loquuntur ejusdem propositiones 23ta, & 24ta; clarius etiam

26ta. *integritas prima creationis non fuit indebita humanae naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.*

Et 78va. *immortalitas primi hominis non erat gratia beneficium, sed naturalis conditio.*

Ques-

Quesnelliana 25ta sic habet: *Gratia Adami est sequela creatio-
nis, & erat debita naturæ sana, & integræ.*

SECTIO III.

De necessitate Gratiae medicinalis in statu na- turae lapsæ.

DOG MATA.

1. In statu naturæ lapsæ homo retinuit quidem (*Tract.*
2. Part. 3. sect. 2. dog. 1.) liberum à necessitate
arbitrium, sed viribus attenuatum, & inclina-
tum.
2. In statu naturæ corruptæ defecit homo ad hoc eti-
am, quod secundum suam naturam potest, ut
non possit totum bonum naturale implere per sua
naturalia, ita, quod in nullo deficiat D. Thom.
1. 2. Q. 119. Art. 2. in C. Aliquid potest. Ibid.
3. Unde sine gratia sanante non potest implere con-
stanter omnia mandata divina naturalia.
4. Neque vitare per totam vitam suam peccata omnia
mortalia.
5. Venialia vitare omnia non potest, nisi ex speciali
insuper Dei privilegio, quemadmodum de B.
Virgine tenet Ecclesia. Trid. Sess. 6. Can. 23.
6. Sine gratia Dei, & solis naturæ viribus, nihil quid-
quam cogitare, velle, aut perficere potest, quod
prodebet ad vitam æternam

7. Quare Dei gratia ipsi non tantum necessaria est ad Fidei & Virtutis progressum ; sed ad ipsum etiam Fidei initium.

Facit huc egregium illud oraculum Tridentini Sess. 6. de Jus-
tific. Cap. 5. Tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illumina-
tionem , neque homo ipse NIHIL OMNINO AGIT , inspirationem
illam recipiens , quippe quillam ET AB SICERE POTEST , neque
tamen SINE GRATIA DEI MOVERE SE AD JUSTITIAM
CORAM ILLO LIBERA SUA VOLUNTATE POTEST.

8. Facienti , quod est in se , Deus non denegat suam gratiam , qui sàpè non facienti ultrò largitur efficacem.

Quod pervagatissimum Ss. Patrum axioma ita exponen-
dum erit , ut & perspicue intelligatur sensus Orthodoxus ,
& vitari doceatur Semipelagianus.

9. Valet liberum arbitrium ad vitanda aliqua peccata , & vincendas sine gratiae adjutorio (victoriâ tamen sterili , ad vitam æternam nihil profuturâ) aliquas tentationes.

10. Justificatus sine speciali auxilio Dei in accepta ju-
stitia perseverare non potest; cum eo potest. Trid.
6. Can. 22.

11. Perseverantia ipsa singulare Dei donum est , quod Ipse dat quibusdam pro sua misericordia , quibusdam non dat , pro justorum judiciorum suorum abyso. S. Aug. Lib. de Corrept. Et grat. Cap. 8.

12. Gra-

l. Gratia
arbitri
exter
empl
relig
Pelagi
atque can
variatione
qui magi
verius,
ad Sacra
de Mey
bus, Ss.
beat.
Baja
non nisi
18va.
les ad alio
19pa.
& ejus
quam per
AM, con
30ma
minemps

12. Gratia Christi medentis non est aut solum liberum arbitrium, gratis à Deo concessum , aut *prædicatio externa* Evangelii, & Christi, Sanctorūmque exempla : sed est *interius* Dei donum , illustrans intellectum, & movens voluntatem.

ERRORES

Pelagianorum, & Massiliensium, sive Semipelagianorum: atque tamen horum, quam illorum, doctrinæ ortum, progressum, variationem, hoc magis germanè & exactè exponet Professor, quod magis necessaria est horum cognitio in hujus ævi controversiis. Videri poterunt, Natalis Alexandri Dissertatio ad Sæculum V., Petavii de his erroribus Liber ; Livini de Meyer de iisdem Dissertatio, qui ex coœvis Scriptoribus, Ss. Augustino, Hieronymo, Prospero, aliisque eos exhibent.

PROPOSITIONES DAMNATÆ

Bajanæ, 27ma. *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet.*

28va. *Pelagianus est error, dicere, quod liberum arbitrium valet ad nullum peccatum vitandum.*

29na. *Non soli fures ii sunt, & latrones, qui Christum viam, & ostium veritatis & vite negant; sed etiam, quicunque aliunde, quam per ipsum in viam justitiae (HOC EST ALIQUAM JUSTITIAM) concendi posse docent.*

30ma. *Aut tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic, ut in eam non inducatur, ac ab ea non superetur.*

PROPOSITIONES DAMNATAE.

Baj. 24. *Distinctio illa duplicitis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, una est, & commentitia, & ad illudendum sacris literis, & plurimis veterum testimonitis, excogitata.*

36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia, per elationem præsumptionis humanae, cum injuria crucis Christi, defenditur à nonnullis Doctoribus.*

37. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum dicit, agnoscit. Similem sensum præferunt Prop. 61. 62. & 65.*

PROBLEMATA.

1. *An homo in statu naturæ lapsæ intrinsecus, an verò extrinsecus tantum, factus sit debilior, quam fuisse in statu naturæ puræ?*

2. *An homo sine gratia Dei possit amare Deum super omnia? De quo S. Thom. 1. 2. quæst. 109. art. 3.*

SECTIO IV.

De gratia efficaci, & sufficiente.

DOGMATA

1. *Gratia efficax, quæ à nullo duro corde respuitur, non est posita in Dei motu, antecedentem voluntatibus necessitatem inferente.*

2. *Neque in delectatione cœlesti, omnis delectationis terrestris usque èo vetricis, ut solam à coactione libertatem voluntati relinquat.*

Explicabitur inter argumenta, à Jansenianis objecta, quid ex S. Augustini mente sit Auxilium quo, & auxilium, sive quo non. De quo prolixè differit de Corrupt. & Grat. Cap. 11. & 12.

3. Deus

3. Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis. *Trid. Sess. 6. Cap. 11. de Justific.*

Deus igitur (*qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agitatem veritatis venire. 1. Tim. 2. v. 4.*) dat omnibus adultis gratias ad salutem consequendam verè sufficientes, *salem remota,* putà ad orandum, pulsandum &c.

De infantibus, ante baptismum morientibus, disputatur in *Tract. 1. P. 1. sect. 6. Probl. 1.*

ERRORES

(1) Calvini, & Lutheri, in absoluta necessitate, liberum arbitrium palam evertente, divinæ gratiæ efficacitatem reponentium. (2) Jansenii, Baji, Quesnelli, eam collocantium in delectatione cœlesti victrice, relinquentे libertatem, non à necessitate, sed à solâ coactione. (3) Ejusdem Jansenii, asserentis, interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resisti, ac proinde nullam hoc in statu esse gratiam merè sufficientem.

PROPOSITIONES DAMNATÆ

Jansenii prima. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilitas deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant.*

2da. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.*

4ta. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hereitici, quòd vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere.*

Inter Propositiones, ab Alexandro VIII. 8vå Dec. 1690. damnatas, hujus loci sunt, sta. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt à JESU Christo instruxum & adeoque hinc rectè infres, in illis esse voluntatem nudam, & inerme, sine omni gratia sufficiente.

6ta. *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam per nicio-
sa est; sic, ut proinde merito possimus petere: A gratia sufficiente li-
bera nos Domine.*

Huc quoque pertinent permulta propositiones damnatae
Quesnelli.

SECTIO V.

De Gratia Justificante.

DOG MATA.

1. *Justificationis unica formalis causa est Justitia Dei,
non quā ipse justus est, sed quā nos justos facit.
Trid. Sess. 6. Cap. 7. de Justif.*
2. *Quamquam nemo possit esse justus, nisi cui merita
passionis Domini nostri JESU Christi communi-
cantur: id tamen in hac impii justificatione fit;
dum ejusdem sanctissimae passionis merito per Spi-
ritum S. charitas Dei diffunditur in cordibus eo-
rum, qui justificantur, atque ipsis inhæret. Trid.
ibid.*

*Causas omnes justificationis reliquas percenset dogmaticè
Tridentinum eodem Capite. quod prælegetur totum.
Præparatio ad justificationem exponetur in Tract. de Paenit.*

3. *Justificatio non est sola peccatorum remissio, sed
& sanctificatio, & renovatio interioris homi-
nis. Quā donati renovamur spiritu mentis nostræ,
& non modò reputamur, sed verè justi nomina-
murus sumus, justitiam in nobis recipientes*
4. *Unusquisque suam, secundum mensuram, quam
Spi-*

Spiritus S. partitur singulis, pro ut vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem. *Trid. ibid.*

5. In ipsa Justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia infusa accipit homo per JESUM Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem. *Ibid.*

6. Justificatur homo per fidem gratiæ. *Rom. 3.*

Quæ verba Apostoli exponenda sunt ex perpetuo Ecclesiæ Catholicæ consensu, quem Tridentinum exhibet *ibid.*
Cap. 8.

7. Non oportet eos, qui verè justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificatos: neminemque à peccatis absolvit, & justificari, nisi eum, qui certò credat, se absolutum; *Trid. ibid. Cap. 9.*

8. Cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui falsum subesse non possit, se gratiam Dei esse consecutum. *Ibid.*

9. Justificati in ipsa justitia, per Christi gratiam acceptâ, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis justificantur. *Trid. ibid. Cap. 10.*

ERRORES

(1) Lutheri, & Calvinii, adstruentium justitiam merè exteriorem, putâ Justitiam Dei, Christi fide apprehensionem, nobisque imputatam. (2) Bajii cuius doctrinam exhibent ejus

PRO.

PROPOSITIONES DAMNATAE.

42. *Justitia, quā justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quae est operum justitia; non autem in gratia aliqua, animæ infusâ, quā adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per spiritum S. renovatus deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire possit.*

43. *In hominibus pœnitentibus ante sacramentum absolutionis, & in catechumenis ante baptismum, est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum.*

44. *Operibus plerisque, quæ à fidelibus sunt, solum, ut Dei mandatis parcent, cuiusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione, abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia, non tamen tis obtinent incrementa virtutum.*

45. *Sed & illa distinctio duplicitis justitiae, alterius, quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inspiratione quidem spiritus sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, quā divinæ legis justificatio impleatur, similiter rejicitur. Synonyma hujus tercè est 64ta.*

PROBLEMATA.

1. *Quo sensu Spiritus S. dicatur hominis justi cor inhabitare, & ipse justus fieri consors divinæ naturæ?*
2. *An gratia justifica distinguatur ab habitu charitatis?*
3. *An peccata condonari merè extrinsecuis possint sine infusâ gratiâ.*

Quætuiones. an gratia sanctificans ex natura sua expellat peccatum; an vero per absolutam saltem Dei potentiam esse in eodem subiecto possit cum peccato, omittentur,

SECTIO VI.

De merito.

PRÆSCITA.

1. Meritum (*quod est effectus gratiae cooperantis*. D. Thom. 1. 2. Q. 114.) est actio, quā justum est, ut agenti aliquid detur. Vid. *Id. 3. P. 2. 49. Art. 6. in C.*

2. Duplex est, aliud *condignum*, aliud *congruum*. D. Thom. *Lect. 3. in Cap. 6. Hebr. Et 1. 2. q. 114. art. 6. in C.*

DOGMA.

1. Nemo, nisi constitutus in gratia justificante, mereri *condigne* potest præmium aliquod *supernaturale*; mereri tamen tale potest peccator *de congruo* per auxilia gratiæ excitantis, & adjuvantis.

Subjungentur conditiones aliæ, ad meritum, tam *condignum*, quam *congruum*, ex parte *Dei*, ex parte *merentis*, ex parte *ipsius operis requisitis*.

2. Homo justus *verè*, & *de condigno*, per bona opera meretur coronam justitiæ, sive vitam æternam.

Trid. Sess. 6. Cap. 16. de Justif.

3. Hanc merendi virtutem opera nostra *ex se* non habent, sed ex *meritis Christi*, & *promissione divina*. *Ibid.*

4. *Primam gratiam actualem* nemo mereri potest, sive *de condigno*, sive *de congruo*: *primam habitualem* mereri quis potest *de congruo*.

5. Solus Christus primam gratiam aliis *de condigno* mereri potuit.

6. *Augmentum gratiæ sanctificantis mereri potest iustus de condigno.*
 7. *Perseverantiam usque ad finem vitæ mereri de condigno non possumus; sed Deus gratis perseverantia bonum largitur, cuicunque illud largitur.*

Paucis item exponetur, an, quid, & quomodo mereri quis possit pro aliis. Quomodo item mereri possumus bona temporaria. Videri potest S. Thom. 1. 2. Q. 114. Art. ult.

ERRORES

- (1) Lutheri, Calvini, aliorumque, vim merendi operibus bonis denegantium, & opera supererogationis irridentium. (2.) Pelagii, vim merendi solis naturæ viribus tribuentis, cuius errores satis erit fuisse suprà expositos, & refutatos. (3.) Baji, cuius sunt hæ-

PROPOSITIONES DAMNATAE;

2da. *Sicut opus malum ex natura sua est mortis aeterna meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vite aeterna meritorium*

12ma. *Pelagii sententia est: opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni caelestis meritorium.*

In eandem sententiam ferè loquuntur Prop. 12. 15. 17. &c.

Problemata nulla,

TRACTATUS IV.

*De Virtutibus Theologicis
Fide, Spe, & Charitate.*

PROLEGOMENA.

De Virtutibus generatim.

B Reviter commemoratis iis, quæ de virtutum naturalium habitibus à Philosophis disputata hīc postulantur. Exponetur